CANTICVM SALOMONIS,

Paraphraſte

ARTVRO IONSTONO

Medico Regio.

LONDINI:

Apud THOMAM HARPERVM Impenſis NATHANIELIS BVTTER, 1633.

Ad Regem.

CAROLE, *flos Regum, quo nil augustius uno,*
Sanctius immensus quo nihil orbis habet,
Quod fero Pieriis è collibus, accipe Regis,
Accipe divini nobile vatis opus.
Sacra Trias numeros, calamũ Rex præbuit ortus
Davide, materiem Numine plenus Hymen.
Hic Deus ipse suos è cœlo cantat amores,
Succinit in terris filia, nupta, nurus.
Tolle quod hic nostrum est, interpretis erue sentes,
Cætera sunt violæ, lilia, myrrha, rosæ.

Serenissimæ tuæ Majestatis
servus humillimus

ARTVRVS IONSTONVS.

CANTICVM SALOMONIS.

CAP. I.

Sponsa.

FEr mihi suaviolum roseis, dilecte, labellis,
Dulcior ô dulci tu mea vita mero es.
Os olet ambrosiam, spirant tua basia myrrham,
Halat & ex ipso nomine thuris odor,
Sic tu virginei tibi vincis pectora cœtus;
Me quoque cum reliquis sub tua iura trahe.
Ponè ruam pernix, regis subitura cubile,
Inque tuo carpam gaudia blanda sinu.
Non ita delectat sitientem viteus humor,
Meque piosque tui dulcis ut urit amor.
Fusca ego sum fateor, facie tamen esse venustâ
Non renuent Solyme quas habet alma nurus:
Est mihi qui deceat Cedarum tentoria cultus,
Est nitor aulæis qui Salomonis inest.
Ne me quòd nigra sim, nigro quòd sole perusta,
Spernite, vel fratrum quòd gravis ira premat.

Quodque aliena mihi malè sit vindemia quondam
Credita, vel quòd sim passa perire meam.
Dic quibus in terris, quâ pascas rupe capellas,
Dic quæ te medio protegat umbra die?
Cur ego te linquam mea lux, mea sola voluptas?
Cur sequar alterius, te superante, greges?

Sponsus.

SI latet hoc, reliquis palmam quæ præripis omnem,
Hanc tibi quam monstro virgo capesse viam.
Iunge greges, gregis & nivei te junge magistris,
Carpat ut hic fœlix pabula læta pecus.
Se tua fidereis dum cingit gloria pennis,
Quid tibi par vastus, quà patet, orbis habet?
Sic sonipes rutilat Pharaonius, undique gazis
Tectus Erythræi, Sidoniique maris.
Aequoris eoi resplendent tempora gemmis,
Candida chrysolithi lumine colla nitent.
Aurea fingemus tibi virgo monilia, puri
Argenti niveis vermiculata notis.

Sponsa.

MEnsa tuos quoties spirat regalis odores,
Cœlestes redolent balsama nostra dapes.
Myrrheus es totus, circundans brachia collo,
Te stringam gremio nocte dieque meo.
Sic Engeddini fragrant opobalsama ruris,
Inque racemiferis lachryma lecta iugis.

Sponsus.

QVàm mihi tu pulchra es! castas imitata columbas
Dulcia cæruleâ lumina luce nitent.

Quàm

Sponſa.

QVàm mihi tu pulcher, rerum dulciſſime! nobis
Inſperſum vario flore cubile viret.
Celſaque victuris radiant palatia cedris,
Pandit & abiegnas porticus ampla trabes.

CAP. II.

Sponſus.

SVm roſa ſuavè rubens, qualem Sharonis in hortis
Candida lecteolo pollice virgo metit.
Quæque creant Zephyri molles in vallibus auræ,
Flos ego ſum veſtri lilia cana gregis.
Et mea virgineas ducens dilecta choreas
Lucet, ut in duris lilia nata rubis.

Sponſa.

MAlus ut arboribus, ſic & meus ignis ephebis,
Terra quot ulla tulit, præripit omne decus.
Illius optarim dulci recubare ſub umbrâ,
Hîc lego melliſluis æmula poma favis.
Hoc duce deveni ſpirantem nectare cellam,
Signifer accenſâ luce præibat amor.
Prome puer cyathos, fragrantia ſuffice poma,
Iam mihi non noto liquitur igne jecur.
Me fovet amplexu dilecti dextera molli,
Læva mihi fulcit languida colla manus.
Turba puellaris, Solymæ florentis alumnæ,
Quaſque Palæſtinæ protulit ora natus,
Parcite fælices ſtrepitu depellere ſomnos,
Fas requie nobis, fas ſit amore frui.
Hoc ego per cervos, quos alunt juga celſa Sionis,
Perque leves capreas, gaudia veſtra, rogo.

Vox ſponſi dilecta mei mihi verberat aures;
En nunc inſultat collibus ille ſacris.
Aemulus hinnuleo, capreáque citatior omni,
Pronus in amplexus en ruit ille meos.
Et mihi ſe ſiſtens, cancellis undique ſeptus,
Proſpicit & tenui luce ſubinde micat.
Me meus eſt ignis vultu ſolatus amico,
Mulſit & alloquio ſuſtinuitque ſuo.

Sponſa ſub perſona ſponſi.

SVrge, ait, his oculis multò mihi charior, omni
Marmore candidior, dulcis amica, veni.
Deceſſere nives, tempeſtateſque ſonoræ,
Cumque ſuis nymbis turbida fugit hyems.
Floret humus, reſonat volucrum concentibus æër,
Fundit & hic querulos turtur ubique modos.
Induiturque novis iam ficus cærula baccis,
Et fragrans tenero vinea flore viret.
Surge animæ pars magna meæ, pulcherrima rerum,
Huc ades: immenſas cur trahis uſque moras?
Quæ iuga, quæ latebras ſectaris more columbæ,
Da precor ore tuo, da mihi voce frui.
Dulcius hac nihil eſt, nihil eſt formoſius illo,
Sed neque par quidquam maximus orbis habet.
Vitibus inviſas cum fœtu interfice vulpes,
Dum tener eſt nobis palmes & uva recens.

Sponſa in ſua perſona:

ME meus ignis habet, ius & mihi ceſſit in illum;
Ille ſuus inter lilia paſcit oves.
Donec nocturnas aurora reſolverit umbras,
Reddideritque diem tu mea vita redi,
Accelera capreis, cerviſque citatior illis,
Per iuga quos ferri Betheriana vides.

Cap:

Cap. III.

Sponsa.

DEcubui, & tacitâ quæsivi noctis in umbrâ
Consortem thalami præsidiumque mei.
Quæsivi & votis iterumque, iterumque vocavi,
Irrita sed rapidi vota tulere noti.
Tunc ego quin, inquam, surgis? Quin excutis urbis
Compita, vestigans irrequieta virum?
Exurgo, multâque vias indagine lustro;
Heu, mea sed nusquam vita reperta mihi est.
Obvia me vigilum cinxit custodia, quæro
An mea sint isti gaudia visa choro.
Nec procul hinc, quæsita diu, mihi vita reperta est;
Dimidiumque animæ deliciumque meæ.
Protinus amplexans dilecto brachia collo
Implicui, nullo difloluënda die.
Inque meæ duxi thalamos & recta parentis,
Lux ubi prima mihi cælitùs hausta fuit.
Vos ego per capreas, cervosque Sionides oro,
Ne strepitu thalami sollicitate fores.

Sponsus.

QVæ fuit hæc olim, loca per deserta columna
Ignea cui noctu prævia rexit iter?
Hanc circum nebulæ spirabant undique myrrham,
Missaque Panchæis thura Sabæa iugis.
Adspice nupta thorum, recubat quo Davide natus,
Qui decies senis cingitur ulque viris.
Hos legit Solyme, duris exercita bellis
Pectora, fulmineo cinxit & ense latus.

Principis his thalamos ſtudium eſt virtute tueri,
Primáque nocturnos pellere cura metus.
Adſpice odorati firmata palatia cedris,
Quas Davidiadæ miſit amica Tyrus.
Hic purâ radiant argenti luce columnæ
Sublimes, auro ſub pede fulget humus.
Murice vela rubent, niveis habitata puellis,
Tota tui Solymæ fragrat amore domus.
Adſpice pacifico rutilent ut tempora regi,
Conſpicuum gemmis ut diadema micet.
Gaudia ſancta agitans & conjugialia feſta,
Hoc illi genitrix cinxit honora comas.

Cap. IV.

Sponſus.

QVàm mea lux reliquas vincis candore puellas!
Aureolo quantum ſpirat ab ore decus!
Lumina cæleſti pinguntur luce, columbis
Aemula, quæ collo verſicolore nitent.
Vellera cæſaries æquat, quæ lucida geſtat
In Giliadæis paſta capella jugis.
Sunt poſiti dentes, liquidi ceu fontis ab undis
Cum tonſi redeunt in nova prata greges.
Candor ineſt niveus, partu fæcunda gemello
Haud aliter loto vellere lucet ovis.
Dulcia Sidonio ſaturantur murice labra,
Blandáque nativo nectare lingua fluit.
Tempora puniceis rutilant circumflua cirrhis,
Poma velut granis nobilitata rubris.
Ardua Davidicæ ſunt colla ſimillima turri,
Hic ubi mille ducum ſcuta ſuperba micant.
Hinnuleos mammæ referunt utrinque gemellos,
Lilia quos inter florida paſcit humus.

In

n juga thure pio, myrrhaque fluentia pingui
Diffugiam, tenebras dum fugat orta dies.
Lux mea, formoſis formoſior omnibus una es,
Nullus & in toto corpore nævus ineſt.
Te mihi da comitem, Libani de vertice mecum
Sponſa veni, dulcem ponè ſequuta virum.
De Sheniræo, de culmine montis Amani,
Hermoniſque cavis deſpice nupta jugis.
Deſpice de luſtris, catulos ubi pardalis atrox,
Trux ubi ſeminium ſæva leæna tegit.
Tu mihi mellito fixiſti lumine pectus,
Torquibus uſſiſti nupta, ſororque tuis.
Nupta, ſororque tuus mulſo mihi dulcior omni
Eſt amor, ambroſius balſama vincit odor.
Stillant labra favos, lac ſudat mellea lingua,
Purpureus Libani ſpirat amictus opes.
Hortus es obſeptus dumis, fons nobilis undæ
Signatus, domino ſepoſituſque ſuo.
Nardus olens, calamuſque tuo naſcuntur in horto,
Cumque crocis aloe, punica mala, cyprus.
Nec myrrhæ lachrymæ, nec thus, nec cinnama deſunt,
Miſſaque de ſactis balſama rara jugis.
Fons ſacer hortorum, vitæ tu lympha perennis,
Tu Libani dulces, ſponſa, recludis aquas.

Sponſa.

AVra fave, gemino mundi de vertice flabris
Lenibus adſpirans in mea ſepta veni,
Elice jucundos horti fælicis odores,
Vir meus ambroſias carpat ut inde dapes.

Cap. V.

Sponsus.

NVpta, soróq; meum deveni lætus in hortum,
Myrrhea cum nardo lachryma lecta mihi est:
Mella, favíque epulas, suffecit pocula nobis
Lac nive candidius, vitigenusque latex.
Gens dilecta mihi, mecum jam læta liquores
Accipe nectareos, ambrosiásque dapes.

Sponsa.

Nox oculis somnúsq; natant, pullantis amici,
Verba tamen patulâ mens vigil aure bibit.
O multùm dilecta soror, sine lâbe columba,
Pande tuas, inquit, dulcis amica fores.
Ecce caput cœli perfusum rore videbis,
Nocturnóq; graves imbre madere comas.
Tunc ego qui, dixi, rursus velamina sumam
Quæ posui? lotos qui maculabo pedes?
Dúmque seræ impatiens dextram meus inserit ignis,
Quàm mihi cor salit! Quàm micuere sinus!
Protinus excutior stratis, ut claustra recludam,
Myrrháque de manibus stillat odora meis.
Myrrheus è digitis in postes depluit imber,
Totáque cælesti janua rore madet.
Hæc ubi jam patuit, meus, heu, decesserat ignis,
Heu, mihi lethalis vox abeuntis erat.
Hunc ego quæsivi nequidquam, sæpe vocatus
Est mihi; responsi nil tamen inde tuli.
Me vigilum truculenta cohors deprendit, & heu,
Sauciat indignis barbara turba modis.
Vrbis ab excubiis, dum passim compita lustro,
Develata mihi turpiter ora queror.

Vos

Vos ego, quas Solyme jactat ſpecioſa, puellæ,
Cernere ſi noſtri fors datur ora viri,
Vos precor adjurans, dilecto dicite, lento
Languidulum nobis igne perire jecur.

Virgines.

Pulchrior ô ſociis, dic dum nos talibus urges,
Quo tuus hic reliquos nomine vincat amor?

Sponſa.

Hic nive candidior, Tyrio rubicundior oſtro,
Dignus & eſt decies mille præire procis.
Par caput eſt auro, criſpantur tempora, corvi
Oſcinis haud alio pluma colore nitet.
Lumina cærúleas æquant ſine labe columbas,
Quæ propè flumineas lacte lavantur aquas.
Floriduliſque gemis fragrans expirat amomum,
Lilia mellitis myrrháque pura labris.
Chryſolithis, auróque nitet manus utraque, ventrem
Sapphiri rutilans lumine velat ebur.
Candida marmoreas imitantur crura columnas,
Quas auro fultas nobiliore vides.
Illius aſpectus croceos dum fundit odores,
Æmulus eſt Libano cedriferíſque jugis.
Stillat ab òre favos, dulces è corpore toto
Blanditias ſpirat, deliciáſque meras.
Nobilis ô Solymæ proles generoſa puellæ,
Hic tacitâ torret pectora noſtra face.

Cap. VI.

Virgines.

INter formoſas ô formoſiſſima, monſtra
Quo tuus hic à te fugerit ales amor.
Vtque tuum tecum, jam veſtigemus amantem,
Dic age quam fugiens carpſerit ille viam.

Sponſa.

Venit in areolas horti meus ignis odoras,
Inter ut has paſcens lilia verna legat.
Hic mihi ſe vovit, conjunx ego debeor illi,
Lilia cui ſurgunt inter amœna dapes.

Sponſus.

TV Tirzæ, Solymes tu formæ dotibus æquis
Tecta, nec eſt acies ſtructa timenda magis.
Lumina flecte retrò, mea lux, ego vincor ab illis,
Vincor & obtutu maceror uſque tuo.
Vellera cæſaries ſuperat, quæ lucida geſtat
In Giliadæis paſta capella jugis.
Sunt poſiti dentes, liquidi ceu fontis ab undis,
Cum tonſi redeunt in noua prata greges.
Candor ineſt niveus, partu fœcunda gemello
Haud aliter loto vellere lucet ovis.
Tempora puniceis rutilant circumflua cirrhis,
Poma velut granis nobilitata rubris.
Hinc ter viginti reginas, Regis amicas
Hinc decies octo nobilis aula fovet.
Turba puellaris numero non clauditur, una
Sed mea, ſi confers, labe columba vacat.
Sola nitet multis è millibus, unica proles,
Spéſque genitricis deliciúmque ſuæ.

Hanc

Hanc vbi viderunt, nimiùm dixere beatam
Virgineúsque chorus, lacteolæque nurus,
Laudavere thori sociæ regalis, amicæ
Et quotquot regi conseruere latus.
Quæ tibi cencenda est, radiosquam cernis eoos,
Et Lunæ & Solis dulce referre jubar?
Cui datur hostiles acies terrere, virorum
Vt cum sub signis stat clypeata seges.

Sponsa.

QVi mihi florebat pomis fœlicibus hortum
Inviſi & valles fertilitate pares.
Anxia disquiro, num forsan vinea gemmis,
Num vireat malus punica flore novo.
Huc ego rapta fui sine sensu, passibus æquans
Nobilium rapidas, alipedésque rotas.

Hierosolymitana.

SAcra redi, Solymæa, redi, vestigia virgo
Flecte retrò, reducis da celer ore frui.

Sponsa.

DIc quid in hac spectes? In se Solymæa cohortes,
Et numerum geminæ vimque phalangis habet.

CAP. VII.

Hierosolymitana.

QVàm tibi formosæ sunt proles regia plantæ!
Quàm mollis niveos velat aluta pedes!

Dædala

Dædala compages femorum, flexuráque crurum
Artificis simulat nobilioris opus.
Ventris apex medius cyatho par nectare pleno est,
Quem torno politit dextra perita levi,
Ipse refert venter tritici florentis acervum,
Candida quem circum lilia fundit humus.
Hinnuleos mammæ geminos imitantur, eburnæ
Turris & in morem lactea colla nitent.
Sic oculi radiant, populosæ proxima portæ,
Vt solet Hesbonæ piscibus unda frequens.
Nasus odoriferæ Libani par obtigit arci,
Alta Damascenam quæ propè cernit humum.
Vertice fers coccum, fulgent tibi murice vittæ,
Réxque tuo semper figitur ipse lari.
Quàm formosa mihi, quàm tu mellita videris!
Deliciis animum quàm tuus implet amor!
Corporis erecti tibi forma simillima palmæ est,
Multáque candidulos purpurat uva sinus.
Chara mihi, dixi, scandetur palma, lacertis
Illius amplectar brachia panda meis.
Pectora purpurei pingent dilecta racemi,
Spirabunt nares roscida mala tuæ.
Nectare lingua madet, cor hoc perfundit amantis,
Dat liquor hic voces fundere more senis.

Sponsa.

MÊ meus ignis habet, mens se mea mancipat illi,
Illius & nostri pectus amore calet.
Nunc ades, ô dilecte mihi, jam rura petamus,
In villis mecum, lux mea, fige larem.
Surge sub auroram; num trudat germina vitis,
Punica vél malus, me comitante, vide.
Hic ego lassa tuo substernam brachia collo,
Inter & amplexus oscula pacta dabo.
En tibi mandragoris thalami sparguntur odoris,
Et cingunt nitidas florea serta fores.

Sunt

Sunt antiqua mihi, nova sunt bellaria, dulces
Quas tibi sepositi sunt mihi mille dapes.

Cap. VIII.

Sponsa.

OVtinam fratrem favor indulsisset olympi
Te mihi, lactasset mater & una duos,
Tum foris invento tibi, quæ decet, oscula ferrem
Blanda, nec opprobrium gentis, ut antè, forem.
Me duce, tecta meæ subiens genitricis, odoros
Intrabis thalamos & documenta dabis.
Hic tibi vitigenus conditus odoribus humor,
Malâque quem fundunt punica, potus erit.
Me meus accipiet gremio vir, colla sinistra
Fulciet, amplexus dextera mille dabit.
Vos ego dilectæ Solymes adjuro puellæ,
Ne qua thori socium suscitet ante diem.
Quæ rogo, qualis erat, quæ per deserta locorum
Nixa tuis humeris est tibi facta comes!
Pomus erat memini, sub quâ tu tactus amore es,
Sub quâ te gravis est pondere facta parens.
Insere me dextræ, quam diligis imprime cordi,
Fœderis hoc nostri gestet & illa notas.
Omnia vincit amor, lethóque simillimus ipsi est,
Nec tumulus crudæ plus feritatis habet.
Illius undantes æquant incendia flammas,
Ipsáque cælesti fulmina torta manu.
Ignibus his lymphæ frustra quærentur; amoris,
Crede mihi, nullis flamma domatur aquis.
Ridet amor gazas, ipsum quoque despicit aurum,
Et quascunque manus parca coëgit opes.
Parva soror nobis nondum matura marito est,
Et nondum teretes intumuere sinus.

Si quis erit juvenum, qui poſcat jungere tædas,
Dic quibus hanc ſtudiis, quave juvemus ope?

Sponſus.

SI mihi firma manet muri ſoror inſtar aheni,
Eſtq; velut toto janua poſte patens.
Vrbs manibus fabricata meis argentea ſurget,
Surget odorato janua firma cedro.

Soror Sponſæ.

PAr ego ſum muro, geminæ ſunt æmula turri
Vbera, quæ, memini, perplacuere tibi.

Sponſus.

RVris in aprici Salomonis vinea campo
Floret & innumero palmite veſtit humum.
Illius eſt famulis cuſtodia credita, nummos
Mille ſolet Domino pendere quiſque ſuo.
Me mea cuſtodem nacta eſt, mihi ſervit & uni
Vineæ, méque ſuâ fertilitate beat.
Mille tibi Salomon tua ſolvit vinea, nummos
Bis centum famuli ſed tamen inde merunt.
Hortorum quæ ſepta colis, tua verba ſodales
Auſcultant, aures tu quoque tunde meas.

Sponſa.

PAr capreis, cervíſque fugam, dilecte, capeſſe,
Montis odoriferi culmina ſumma pete.

FINIS.

Septem Psalmi
PŒNITENTIALES.

Ad Reverendum Antistitem,

GVLIELMVM LADIVM

Episcopum Londinensem.

CVi pietas, LADI cœlestis acumine fulgens
Ingenij, patriæ dat patris aure frui,
Has ego Iessæi lachrymas tibi nuncupo vatis,
Hæsint obsequij tessera certa mei.
Plus dare fas non est; Helicon quos nutrit alumnis
Nil solet infœlix fundere præter aquas.
Vt te digna feras, adspira mollibus auris
Tu mihi; sic puro nectare vena fluet.

VIRTVS NOS ORNAT.

PSALMI
PŒNITENTIALES.

PSAL. I.—6.

Domine ne in furore tuo.

NE, rerum Deus alme ſator, me corripe, frænę
Dum furor excuſſo ſævit & ira calet.
Parce laboranti, dextrámq; ſalutifer ægro
Porrige, dum mentem laſſat & oſſa dolor.
Quò trahis uſq; morā? lethũ pulſurus, amoris
Si memor es patrii, te mihi redde pater.
Senſus abeſt tumulis; nec te cantare ſilentes,
Dicere nec laudes flebilis urna poteſt.
Flens ego defeci toties, noctêmque fatigans,
Implevi lachrymis triſte cubile meis.
Ex oculis fugitiuam aciem, cava lumina riſus,
Pro dolor, hoſtiles inter & arma vides.
Ite procul ſcelerum ſocii; me conditor orbis
Audiit, & porrò ſpes jubet eſſe ratàs.
Hoſtica gens perculſa metu, ſuffuſa rubore,
Verſa dabit ſubitæ terga pudenda fugæ.

PSAL. 2.——32.

Beati quorum remissæ sunt.

Fœlix cui scelerum nævos Deus eluit, umbrâ
Cui superinductâ facta nefanda tegit.
Fœlix cui noxas non imputat arbiter æqui,
Cujus & est omnis nescia lingua doli.
Vulnera dum celans fremerem sine fine, modoque,
Ossibus obrepsit sicca senecta meis.
Me manus afflixit tua, seu sol promeret orbi
Seu premeret roseum nox revoluta diem.
Squallebant resides venis marcentibus artus,
Vt canis arenti sidere tosta seges:
At simul ac morbumque tibi, culpamque retexi,
Et scelerum tortas, multiplicésque vias.
Cælitùs affulgens omnem clementia labem
Sustulit & veteris semina prima mali.
Ergo cohors te sacra colet, tibi vota rependet,
Dum licet & supplex cum prece dona feret.
Hæc damni secura foret, secura timoris,
Tota licet tellus obrueretur aquis.
Tu lapsis fers rebus opem, tu gaudia præstas,
Tu vindex, quoties cingor ab hoste, mihi es.
Quin, ais, & cæcæ depellam nubila mentis,
Et gressus oculo præradiante regam.
Absit equi vel te muli stupor occupet, una
Quos, cùm iudicium desit, habena domat.
Mille neces scelerum, favor, & clementia cœli
Iustitiæ merces & pietatis erunt.
Exulta, cui pura manus, cui candida mens est,
Et dominum spectans gaudia lætus age.

PSAL.

PSAL. 3.——38.

Domine ne in furore.

NE famulum reprende, Deus, dum feruidus iram
Colligis & justus ventilat arma furor.
Tu mea lethiferis fixisti pectora telis,
Et gravis afflictum iam tua dextra premit;
Fax iræ violentæ tuæ depascitur artus,
Nec locus est plagis, vulneribusque novis;
Ossa quatit, luxatque mihi, compage solutâ
Conscia mens, animæ carnificina meæ.
Obruor illuvie scelerum, ceu vortice sorptus,
Enitens, saxum ceu foret, inde premor.
Vulnera tabe fluunt & spargitur undique virus,
Stultitiæ merces justáque pœna meæ.
Curvus in invisam defigo lumina terram,
Lumina perpetuo quæ mihi rore madent.
Vlcere corrosos urunt incendia renes,
Nullâque pars morbo, nulla dolore vacat.
His mersus, fractúsque malis, ululatibus, unum
Quod supereſt, terras lassо polúmque meis.
Telluris cœlíque fator, tibi nuncupo vota,
Nec famuli gemitus te, pater alme, fugit.
Cor trepidat, languent tremuli sine viribus artus,
Nox oculis, acie deficiente, natat.
Me fugiunt, quos junxit amor vel sanguis, amici,
Dùmque luem spectant, quâ premor, horror habet.
Imminet & jugulo structis manus impia technis,
Miscet & arcanis probra nefanda dolis.
At ego surdus ad hæc, geminis velut auribus orbus,
Et, ceu nulla foret vox mihi, mutus eram.
Nempe, parens rerum, spes in te nostra reposita est,
Tu facili gemitus desuper aure bibe.
Annue, dum pedibus titubo lapsantibus, hosti
Fabula ne fiam ludibriúmque meo.

Annue, ne noſtris inſultet cladibus hoſtis,
Et proclinatum, procidúmque premat.
Succiduo jam penè miſer ſum poplite, præſens
Semper & grumæ triſtis imago meæ eſt.
Dum quibus iuvolvor lachrymans mala detego, vitæ
Dum ſimul errores deprecor, hoſtis ovat.
Inque dies numero gliſcens & viribus exlex
Turba meis vivit læta vigétque malis.
Inſontem premit hæc odiis, benefactáque pœnis
Compenſat, ſtudiis ſemper iniqua meis.
Ne me linque, Deus, ne te mihi ſubtrahe, vitæ
Autor, & optatam porrige promptus opem.

PSAL. 4.——51.

Miſerere mei Deus.

ME Deus exaudi facilis, patriíque favoris
Adſpiret votis mollior aura meis.
Quíque reis toties veniam, totiéſque benignus
Indulges, ſcelerum me quoque faſce leva.
Elue turpe nefas, fœdam, pater, elue noxam,
Obverſantem oculis nocte diéque meis.
In te deliqui, te læſi nequiter unum,
Et ſcelus ulciſci jus tibi fáſque foret.
Polluit auſpicium vitæ mihi dira mephitis,
Primáque lux miſeræ conſcia labis erat.
Luce carens, ipsâ contraxi matris in alvo
Triſte rudimentum, ſeminiúmque mali.
At cordi eſt tibi pura fides, tu mente ſagaci,
Tu mihi non notâ pectora luce reples.
Hyſſopi me fronde, ſacro me flumine luſtra,
Mundior ut niteam candididióque nive.
Mitte ſalutiferæ qui gaudia nuntiet horæ,
Vt redeat fracto priſcus in oſſa vigor.
Parce meo puros in crimine figere vultus;
De medio potiùs flebile tolle nefas.

Redde

Redde, quod amisi, pectus sine crimine, mentem
In restaurato pectore finge novam.
Nec me adytis disclude tuis, sed Spiritus olim
Quas sacer accendit, ne mihi deme faces.
Redde mihi vitæ spirantes gaudia vultus,
Spiritus & mentem fulciat usque tuus.
Indicio tum versa meo gens devia gressus
Diriget, & sacro trâmite carpet iter.
Auror opis vitæque Deus, ne cæde madentem
Lethifer in pœnas posce, sed abde nefas.
Tunc ego te justúmq, canam, placidúmque, reclude
Vocis iter, laudes ut canat alta tuas.
Nec grata est tibi cæsa bidens vel maxima taurus
Victima, nec tepidis tosta juvenca focis.
Mens scelerum sub mole gemens, fraudésque perosa,
Vna placet, Numen placat & una tuum.
Adspice, sed facilis turres, pater alme, Sionis,
Et Solymæ memori mœnia conde manu.
Tum tibi pacato pecudum cruor imbuet aras,
Et cadet ante sacros hostia grata focos.

Psal. 5. ——— 102.

Domine exaudi orationem.

AEtheris excelsi rector, me desuper audi,
Dum gemitus, clamor dum meus astra ferit.
Rebus in angustis patrios ne subtrahe vultus,
Suscipe festinâ, dum queror, aure preces.
Vita mihi fumo similis tenuatur in auras,
Qui coquit, in cineres dissipat ossa dolor.
Pectora languescunt, ceu flos succisus aratro,
Nec desiderio tangor, ut ante, dapis.
Dum sine fine gemo, macies deformat, & extant
Ossa per adductam dinumeranda cutem.
Haud aliter mœstis implet loca sola querelis
Ibis, & infausto carmine noctis avis.

Sic vigilans dulci viduatus compare passer
Mœret & ex alto tristia fata vocat.
Mille vides circum strictas in crimina linguas,
Et conjuratas in mea damna manus.
Pabula sunt sordes cinerum, fatrísque canini
Spurcities, lachrymis pocula mista bibo.
Vis iræ secreta tuæ me sustulit olim
Sublimem, lapsu quò graviore ruam.
Vmbra velut fugiens vanescit futilis ætas,
Aret & exangui corpus, ut ægra leges.
Tu pater annorum stas nullo mobilis ævo,
Orbáque principio gloria fine caret.
Surge, Deus, Solymæ turres bonus adspice, venit
Pacta dies, votis sæpe petita meis.
Sacra cohors dum saxa videt, patriæque ruinas,
Lætitia hinc mentes distrahit, inde dolor.
Vltima te metuet tellus, tibi purpura regum
Serviet, augustos ante voluta pedes.
Structa Deo cessæ tum surgent tecta Sionis,
Ille sacrum sacrâ fundet ab arce jubar.
Agminis afflicti gemitus pater audiet æquus,
Nec dabit insanis vota ferenda notis.
Hæc adamante decet venturis scribere sæclis,
Vt canat & discat gens nova nosse Deum.
Arduus hìc sacrâ terras despectat ab aulâ,
Et rerum varias, instabilésque vices.
Afflictis hinc mittit opem, fontèsque catenis
Liberat & lethi, quod meruere, metu.
Scilicet illius meritas ut in æthera laudes
Thure litans Solyme tollat & alta Sion.
Vtque catervatim populus cum regibus ipsis
Confluat & supplex undique dona ferat.
Illius imperio, medio mihi robur in ævo
Deficit & clausa est limite vita brevi.
Spe tamen erectus, ne cui lux nulla suprema est,
Ante diem, dixi, lumina conde mihi.

Est

Est tellus stabilita tibi, tu surgere cœli
Mœnia jussisti, sidereásque domos.
His modus est ævi, præscriptáque tempora vitæ,
Nec vitæ modus est, meta nec ulla tuæ.
Læna velut teritur moles & machina mundi,
Inq; dies vultus sumit, ut illa, novos.
Tu tibi par semper, dentes tu despicis ævi,
Annorúmque leves, præcipitésque rotas.
Hæc servi sobolèsque tui, sobolísque nepotes
Fœlices tecum sæcula semper agent.

Psal. 6.——130.

De profundis clamavi.

INgemui, vocémque trahens de pectoris imo
Te pater oravit mens stupefacta malis.
Supplicis exaudi gemitus, & desuper aurem
Inclinans famuli fac rata vota tui.
Si quoties peccant mortales, mente recondas,
Pars quota quæ mittes fulmina ferre queat?
Sed tua te niveis cingit clementia pennis,
Vt pius hinc subeat pectora sancta timor.
Fluctibus in mediis, Domino spes omnis in uno
Fixa mihi est, pactis certa subesse fidem.
Hoc spectat mens læta jubar, nocturnus eoâ
Parciùs excubitor luce refectus ovat.
Erigat Abramidas Domino spes nixa benigno,
Ille salutiferam sufficit unus opem.
Gentis & Isaciæ vitali gurgite noxas
Abluet, & quicquid pectora sordis habent.

Psal. 7.——143.

Domine exaudi orationem.

AVuribus arrectis humiles, Deus, accipe questus,
Fœderis antiqui, justitiæque memor,

Ne trutinâ me pende tuâ, ne durus amussi
Quæsitor vitæ subjice facta meæ.
Adspice mortali prognatos semine, toto
De grege te coram crimine nemo vacat:
Me pressit, stravitque ferox, me carcere mersit
Hostis & in tenebris vita terenda fuit.
Delitui, ceu luce carens & voce silentum
Turba solet, quam nox semper opaca tegit.
Obstupuit mens fracta malis, ceu sidere lævo
Tacta, nec in toto pectore pectus erat.
Sed memor, annales recolens; tua facta revolvo,
Hæc referunt animo nóxque, diésque meo.
Cùm premor adversis, supplex tibi brachia tendo,
Et desiderio maceror usque tui.
Sic ager immodico sitiens languescit ab æstu,
Sic pluviam, succo deficiente, vocat.
Ocyus exaudi, ne pondere victa fatiscat
Mens mihi, ne, dextram te retrahente, ruam.
Nec vultus jubar abde tui, quo cuncta serenas,
Quo sine me lethi squallor & horror habet.
Lumine me placido, pater, adspice, Phosphorus umbras
Cum fugat, auxilio spes mea sulta tuo est.
Luce præi, signáque viam, te suspicit unum
Æquoris undosi mens propè mersa vadis.
Eripe me vindex furiis hostilibus, umbra
Tu mihi, tu clypei protegis orbe tui.
Da famulo tua jussa sequi Dominúsque, Deúsque,
Da pater adspirans in tua tecta viam.
Iustitiæ, laudísque tuæ memor eripe servum
Fluctibus, & vires, dum potes, adde novas.
Vtque bonum, facilémque canam, Deus, obrue géntem
Quâ premor, & famuli jura tuere tui.

FINIS.

Septem Psalmi
CONSOLATORII.

Ad Reverendum virum, IOHANNEM LESLÆVM, Episcopum Raphotensem.

LAus sacri, LESLÆE, chori, dũ tendis Iernen,
Et nova dextrorsum te Cynosura trahit;
Me sine ne properes, nostri cape pignus amoris;
Quem damus hic præsens est panacea liber.
Hâc mens fracta malis, nullis cedentia succis
Hâc persanantur vulnera cordis ope.

VIRTVS NOS ORNAT.

Psalmi septem
CONSOLATORII.

Psal. 1. —— 16.

Conserva me Domine.

PRæsidio, dextráque tuâ me protege, rerum
Conditor, in te spes certa reposta mihi est.
Te Deus agnosco Dominum, nullius egentũ,
Quem nequeo cultu demeruisse meo.
Si qua tamen studiosa tui gens ætheris aurâ
Vescitur, hanc studio prosequar usque pio:
Altiùs humanis si quis caput extulit, illum
Dulce mihi est famulâ sustinuisse manu.
At, spreto quæcunque Deo, simulachra Deorum
Muta colit, pœnas gens rea mille luet.
Absit ut his sociem cæptis immanibus aras,
Sacra vel infando dextra cruore litet.
Absit ut, hæc memorans, os se contaminet, aures
Absit ut offendant nomina læva pias.

Summa

Summa meæ sortis Deus est, custosque fidelis,
Sufficit & largâ præmia læta manu.
Hæredi mihi signat agrum, qui mille renidens
Blanditijs, domino gaudia mille parit.
Tolletur me vate Deus super æthera, pectus
Qui mihi suffulcit, consilióque regit.
Illius afflatu sacras præcordiâ flammas
Concipiunt, pulsâ nox ubi luce subit.
Hunc oculis, hunc mente feram sine fine, ruina,
Hic modo sit dexter, nulla timenda mihi est.
Gestiet ergo mihi mens & cum pectore lingua,
Nec deerit tumulo spes animosa meo.
Nam neque permittes animam, pater alme, tenebras
Inter in infernâ ducere valle moras.
Nec tibi dilectum tumuli sub fornice putres
Pulveris in sordes durus abire sines.
Tu vitæ mihi pandis iter, vestigia certa
Tu face cælesti per loca senta regis.
Gaudia perfundunt vultus saturantia, vitæ
Delicias omnes dextra perennis habet.

Psal 2.——23.

Dominus regit me.

BLandus ut ūpilio me pascit rector olympi,
Ne mihi quid desit providus ille cavet.
Dat satur ut recubem pratis in mollibus, amnis
Hic ubi decurrit lenè fluentis aquæ.
Correereat, rectíque viam mihi monstrat & æqui,
Nominis ipsè sui justitiæque memor.
Non ego degeneri quatterer formidine, lethi
Ante oculos quamvis vallis opaca foret.
Tu mihi semper ades, baculo vestigia firmans
Lubrica, méque pedo pastor ubique regis.

Hoste

Hoste palàm, tu das plenis accumbere mensis,
Præbet & ambrosias dextra benigna dapes.
Tu caput irrorat succo fœlicis olivæ,
Vtque mihi superet nectaris unda facis.
Me patris ætherei favor & clementia cingens
Semper erit dubiæ dúxque comésque viæ.
Quæ sibi sacravit Deus autor & arbiter orbis,
Templa colam, vitâ dum sinet ille frui.

Psal. 3 ——— 30.

Exaltabo te Domine.

QVi mea victrici cinxisti tempora lauru,
Magne parens rerum, te super astra feram.
More triumphantis, nostris ne cladibus hostis
Impius insultet, munus id omne tuum est.
Te, Deus, implorans implevi questibus auras,
Nec mora, cœlesti sum relevatus ope.
Me tuus è tumulo favor & pallentibus umbris
Eruit, optatam restituitque diem.
Dic laudes gens sancta Deo, dic supplice grates
Pectore, sidereos ante voluta pedes.
Illius hybernâ fugit ira citatiùs horâ,
Vnus & est vitæ perpetis ille parens.
Me quibus involvunt nocturna crepuscula, tristes
Curarum nebulas discutit orta dies.
Cum freta sulcarem ventis fælicibus, alnum
Concutiet, dixi, nulla procella meam.
Spem mihi firmasti, rupis Deus instar ahenæ,
Hæc abijt, vultus te retrahente jubar.
Rebus in angustis, tensis ad sidera palmis,
Hæc mihi, nam memini, fusa querela fuit.
Quid juvat exitio caput hoc deposcere? Nostræ
Quis necis aut fusi sanguinis usus erit?

Tene,

Téne, fidemq́ tuam cineres cantare sepulti,
Solvere num grates mata sepulchra queunt?
Me, Deus, exaudi, patriam da cælitùs aurem,
Et pactam propera ferre misertus opem.
Tu facis ut lachrymis succedat risus, amictu
Tu pro lugubri coccina ferre jubes.
Ergo, pater, te voce canam, dum vita manebit,
Factorumque recens gratia semper erit.

Psal. 4. ——— 34.

Benedicam Dominum.

NVminis extollam laudes, gratésque rependam,
Dum mihi sub lævo pectore vena salit.
Nixa Deo mens læta Deum jactabit amicum,
Gestiet exemplo gens pia docta meo.
Cælestes animæ, devotaque pectora, mecum
Illius unanimi tollite voce decus.
Quam petij, mihi promptus opem porrexit, & omnem,
Cor ubi diriguit, depulit ille metum.
Regis in ætherei qui figit lumina vultus,
Luce coruscabit, nec teget ora pudor.
Sedibus è superis miseri, quem conspicis, ille
Audivit gemitus, auxiliumque tulit.
Agminis aligeri cingit custodia justos,
Et sacra cœlesti castra tuetur ope.
Cerne oculis devota cohors & sensibus imis
Percipe quàm vestri flagret amore Deus.
Illius auxilio quisquis spem ponit in uno,
Hunc ego fælicem terque quaterque reor.
Flecte genu, gens sancta, Deo; nil deficit illi,
Numinis imperium qui reverenter habet.
Sæpe fames ipsos domat importuna leones,
Lauta pijs rerum copia semper adest.

Hue

Huc ades, auscultà soboles mihi chara, vereri
Vt discas domini, me duce, iussa tui.
Dulcibus illecebris longi qui duceris ævi,
Qui cupis auratos, & sine nube dies,
Da linguæ pia fræna tuæ, preme labra lupatis,
Lubricus ingenuo sit procul ore dolus.
Pone modum, metamque malis, sectare quod æquum est,
Tranquillâ studium sit tibi pace frui.
Rerum opifex placido dignatur lumine justos,
Et castas facili suscipit aure preces.
At scelerum socios sic fulmine dissipat iræ,
Nullus ut his toto restet in orbe locus.
Prona Deo est semper justorum questibus auris,
Eruit è medijs dextera prompta malis.
Est Deus huic præstò vitæ quem turpiter actæ
Pœnitet, occulto torret & igne dolor.
Hunc reget & mediis vindex servabit in undis,
Cui mens est humilis, vitaque facta malis.
Mille pium clades circumstant, mille pericla,
Sed tegit ætherei cura paterna ducis.
Est Deus huic custos, & tutelaribus armis
Vim prohibens omnem, non sinit ossa teri.
Artifici damnosa suo fraus fraude peribit,
Quæque pios odit gens scelerata ruet.
Devoras animas rerum sator asseret ultrò,
Deque sacrâ nullum gente perire sinet.

Psal. 5. ——— 42.

Quemadmodum desiderat cervus.

CErvus ut in medio celsis de montibus æstu
Actus in algentes fertur anhelus aquas,
Sic mea divinâ satiari nectaris undâ
Mens avet & domini languet amore sui.

Gaudet

Gaudet & optat amans vitæ se jungere fonti;
His mihi delicijs quæ dabit hora frui!
Dum sine fine petunt ubi sis, cui servio, Numen,
Luce mihi lachrymæ, sunt mihi nocte dapes.
Scandere me quoties memini penetralia sacra,
Et longo populos ordine ponè sequi,
Ardua dum recolo jactas ad sidera voces,
Et plausum, festis quem decet esse choris,
In lachrymas totus miser & suspiria solvor,
Inter & ærumnas est mihi dulce queri.
Cur ita turbaris, cur te mens dejicis expes?
Cur ita me torques anxia; fide Deo.
Ille salutiferis vindex me proteget alis,
Et mihi materies unica laudis erit.
Mens trepidat quoties Iordanis respicit undas,
Quæque minax Hermon, quæ juga Mizar habet.
Gurgitis est gurges, rauci comes æquoris æquor,
Fluctibus infœlix obruor usque novis.
Sed me luce Dei fulcit clementia, noctu
Autorem vitæ lætus ad astra fero.
Tunc ego cur dicam capiunt te oblivia nostri,
Vna, Deus, rupes qui mihi nuper eras?
Cur propè confectum curis, lachrymisque sepultum
Me finis immani durus ab hoste premi?
Dum petit hostis atrox, ubi sis, sine fine, modoque
Insultans, luxat protinus ossa dolor.
Cur ita turbaris, cur te mens dejicis expes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo.
Ille salutiferis vindex me proteget alis,
Et mihi materies unica laudis erit.

Psal. 6. ——— 103.

Benedic anima mea Domino.

MEns cane læta Deum, totas simul exere vires,
Nominis & sancti fer super astra jubar.
Redde parem meritis laudem, nec dentibus ævi
Hæc terat aut tenebris obruat ulla dies.
Scilicet & scelerum nævos obliterat omnes,
Et medicam morbis applicat ille manum.
Ille tuos animat cineres, redivivaque lauru
Perpete cælestis tempora cingit amor.
Delicijs os mille beat, pulsisq; senectæ
Exuvijs, aquilæ sæcula more novat.
Ne tenues vis dira premat, dat jura tyrannis,
His pater æthereus falsque nefasque regit.
Credidit Amramidæ leges Deus arbiter æqui,
Abramidum populo facta notanda dedit.
Sponte Deum nostri miseret, qui segnis ad iram
Quos sibi selegit non patienter amat.
Nec litem de lite serit, flammæque fugacis
Æmula momento deperit ira brevi.
Non hic fulmineum quoties deliquimus ensem
Accinxit, sceleri pœna nec æqua fuit.
Est bonitas immensa, pios quæ protegit, ima
Nec magis à cœli culmine distat humus.
Crimina depellit, quantùm sol distat ab ortu,
Cæruleo tessas cum lavat amne rotas.
Cultores fovet ille suos & diligit unos,
Vt tenero prolis flagrat amore parens.
Scit genus Iapeti qua simus origine nati,
Et meminit fragili corpora ficta luto.
Graminis in morem surgens, citò carpitur ætas,
Sic violæ primo purpura vere fugit,
Vere fugit, rapiturque Notis, de stirpe recisa,
Nec manet indicium, quo fuit orta, loci.

Sed fovet usque pios superi clementia regis,
Excubiasque sacro pro grege semper agit.
Transit & in seros bonitas divina nepotes,
Obstrictam patribus servat & illa fidem:
His promissa Dei rata sunt & fœdera, leges
Quos juvat æthereas, imperiumque sequi.
Aetheris in medio solium sibi rector olympi
Fixit, & hinc orbem solus ubique regit.
Turma potens, voulcrísque, Dei quæ jussa facessis,
Huic, age, cœlesti concipe voce melos.
Qui cœli sub rege meres, exercitus omnis,
Pange tuo laudes, quo decet ore, duci.
Divinâ cælata manu, tu machina mundi,
Tu mea, dum superes, mens cane læta Deum.

PSAL. 7. ——— 145.

Exaltabo te Deus meus Rex.

TE regem, Deus alme, canam, præconia plectro
Vndique diffundam non metuente mori.
Nulla dies non te recolet, pater optime, metis
Includent titulos sæcla nec ulla tuos.
Est immensa Dei, nec sat laudata potestas,
Sacráque majestas fine, modóque caret.
Instruit ætatem priscis annalibus ætas,
Milletuâ memorans parta trophæa manu.
Numinis augusti decus & miracula dextræ
Fixa sedent animo nocte, diéque meo.
Robur ego, memorent alii monumenta furoris,
Quæque vibras iræ fulmina sæva tuæ.
Acta vel immensi vim quæ testantur amoris,
Vel quàm sit memorent intemerata fides:
Est facilis, mitísque Deus, nec promptus ad iram,
Rebus in adversis ferre paratus opem.
Illius ingentem bonitas diffusa per orbem,
Eminet, exuperans quicquid ubique vides.

Arist-

Artificem, pater alme, suum te machina mundi,
Tota tuas laudes gens tibi sacra canit.
Imperij, sceptríque decus cælestibus hymnis
Explicat & vires tollit in astra tuas.
Sic regni sacra fama tui, sic roboris ingens
Spargitur & toto vivit in orbe decus.
Quos geris æterni sunt & sine limite fasces
Imperij, nil hic tempora juris habent.
Sustinet infirmos cælestis dextera, terræ
Hæc eadem afflictos dextera tollit humo.
Te mare, te tellus, totus te inspicit orbis,
Pabula tu præbes tempore cuique suo.
Expandis tu sponte manum, quæ sustinet omnes,
Omnibus ambrosias porrigit illa dapes.
Arbiter æthereus recti sectator & æqui est,
Quicquid molitur vel jubet ille, pium est.
Hunc alacri si mente petis, nec fallere tentas,
Ibit in amplexus protinus ille tuos.
Audiet hic questus facilis, votisque piorum
Annuet, & vitæ præmia certa dabit.
Gens pia durabit cælesti numine tuta,
Impia cælesti corruit icta manu.
Voce Deum referam, cujus nomenque, decúsque
Natio nulla sinet, sæcla nec ulla mori.

FINIS.

124/31
STC
2767
Copy 1